



**CHRISTVM,
MVNDI MELIORIS ORIGINEM.
IPSO DIE EIVS NATALI,**

ANNO MDCC LII.

PIE CANVNT,

**SCHOLAE CATHEDRALIS NVMBVRGENSIS
ALVMNI PRIMO ORDINI**

ADSCRIPTI,

VERBA PRAEVRNT

IOANNE CHRISTOPHORO ZOELICHIO,

NVMBVRG.




N V M B V R G I.

IMPRIMEBAT IOANN. GVILIELM. BOSSOEGEL.

PRIVILEGIUM TYPOG.





ergo venis miseris promissus ab aethere terris,
Solator populi, mundi melioris origo,
Nate Deo, Deus ipse, poli fabricator, et
orbis,
Res reparaturus lapsas, operique decentem
Instauraturus faciem, qua claruit olim.
Quippe vides, opus omne tuum, mira arte paratum,
Hei! nimium vitii cepisse, grauique ruina
In praeceps totum volui, lapsumque minari.
Nam qui non atra tuleras caligine terras
Inuolui primas, lucemque ex nocte vocabas;
Omnia nunc stygiis spectas consula tenebris.
Qualis erat facies prima sub origine mundi,
Cum tua nec radians vibrares lumina, Titan,
Nec tua fulgeret facies, argentea Phoebe,
Nec lux ulla foret coelo, nec lucifer vllus;
Sed molem immensam terrae, pelagique profundi,
Ingens oppressam caliginis horror haberet:
Aut qualis Phariis se quondam infuderat aruis
Horrida nox, similem cui nemo viderat vnquam,
Nec fando audierat talis nox incubat orbi,
Vt iam nemo queat coeli conuexa tueri,
Nemo, quod ante pedes positum, cognoscere, et omnes
Tanquam luminibus cassi, ductore carentes,
Suspensio tentent pede, qua vestigia firment.
Ecce tamen misere impingunt, lateque vagantur.

Namque suo nusquam sapientia lumine fulget,
Sed turpis miseris tenet ignorantia mentes.
Nemo videt; quid iura velint, quid fasque requirat,
Quid ferre exitium possit, quid ferre salutem,
Quae ferat ad celsi splendentia culmina coeli,
Vel quae tartareum miseris via ducat ad orcum.
Quid? Deus immenso manifestus lumine quondam,
Nube velut densa mersus, non cernitur vlli.
Aspicias haec, opifex rerum, tantumque laboris
Miraris potuisse perire, dolesque ruinam.
Plura doles. Nusquam sua stat concordia rebus.
Hinc furor, hinc ratio, pugnant; hinc fastus, et ira
Imperium renuunt; nec iam prudentia factis
Praesidet, imponit leges furiosa cupido.
Illa trahit, retrahitque, vagam contraria mentem
In studia, vt nauem rapit in diuersa procella,
Nec patitur tuto decurrere in aequore. Luxus,
Et vana ambitio, et stis insatiabilis auri,
Sceptra tenent, pedibus virtus calcata fatiscit,
Religio, et pietas, toto proscribitur orbe.
Nulla fides dictis, vultus quoque fallere discit,
Et scelerata placent tetrae periuria linguae,
Livorque, et scelerum feralia plurima monstra,
Quae noua perpetuo spissam nascuntur in auram.
Hei! foedam segetem, quae toto exuberat orbe
Casibus horrificis, omnesque laboribus vrget,
Totique excidium fert irreparabile mundo.
Hinc immite tenet Libitina, miserima rerum,
Imperium. Haec fuerant illa quae lege creata,
Vt fortunatos agerent sine finibus annos,
Istis imposuit non eluctabile fatum,
Deiicit ad manes, et luce carentia regna,
Et miseros geniis sociat, qui sulphure rivos
Et pice torrentes habitant, noctemque profundam,
Ista videns, quamuis iustas exurgere in iras,
Atque opus aeternis posses permittere damnis,
Promptus ad auxilium tamen, et succurrere lapsis,
Hic ades, O! auctor rerum, reparator et idem.
Vtque ruinosas expertus et impiger aedes
Circuit atque explorat herus, nec destruit ipse,
Mente sed attenta spectat, qua parte laborent,
Quaque suo firmatae stent robore; quaeque labascunt,

Artificique manu reparat, solerteque cura
Restituit, roburque addit: sic, arbiter orbis,
Cernis opus, curasque, et perspicis omnia clemens,
Et qua voce prius tenebras tellure fugabas,
Hac iterum propellis eas, lucemque reducis.
Nam sanctae verbo doctrinae lumina fundis,
Quaeque diu fugit sapientia pectus opacum,
Hanc reuocas, superi pandisque arcana Parentis,
Exponens patrii sanctissima foedera juris,
Atque datae fidei certissima pignora jungis,
Quaeque agat ad stygias, foedissima regna, paludes,
Quae via, demonstras, sit eunda petentibus altra.
Qualia nimbosam post noctem lumina Phoebus
Spargit, ubi pulsus nebulis purissimus exit,
Cunctaque foecundo recreatque, fouetque, calore,
Fertilisque soluti vires pleno vberem fundit:
Talia, deuictis verbo caliginis umbris,
Lumina restituis terris, gelidisque rigentes
Frigoribus regelas mentes, atque ignibus imple,
Rursus et extinctum revocas in membra vigorem.
Hinc amor, et pietas, reuerentia Numinis, et ius,
Et pudor, et probitas, et blanda modestia, veri
Cum studio, intemerata fides, patientia, spesque,
Et bona simplicitas, nullo quae splendida fuce,
Et, quas dira lues viciorum oppresserat ante,
Virtutes validis aliae radicibus haerent,
Et sua stat rursus concordia reddita rebus.
Tu vero, alme Parens, Instauratorque salutis,
Exuis imperio lethum, tristemque sub orcum
Mittis, et inferni squallentia regna tyranni
Vertis, et horribilis pede calcas colla draconis,
Qui genus in terras inuexerat omne ruinae.
Sic stabilis reparata tibi nunc regna, decusque
Adjicis, et fulges reparati conditor orbis.
Nec satis est, te auctore novi fundamenta surgunt
Mundi, continuis vbi sancte viuitur annis,
Gloria, diuitiae, dulcissima gaudia nullis
Conturbata malis, quique omnia caetera longe
Exuperas, bone Christe, Paterque, et Spiritus almus,
Hoc habitant, hoc nos statuisti ponere quondam.
O! salue, tantae princeps, auctorque, salutis.

78 M 496

ULB Halle 3
001 618 148



TA 506

617





**CHRISTVM,
MVNDI MELIORIS ORIGINEM.
IPSO DIE EIVS NATALI,**

ANNO M DCC LII.

PIE CANVNT,

**SCHOLAE CATHEDRALIS NVMBVRGENSIS
ALVMNI PRIMO ORDINI**

ADSCRIPTI,

VERBA PRAEUVNTE

IOANNE CHRISTOPHORO ZOELLICHIO,


NVMBVRG.



N V M B V R G I.

IMPRIMEBAT IOANN, GVILIELM. BOSSOEGEL.

PRIVILEGIUM TYPOG.



Farbkarte #13

B.I.G.

